

monstratiuorum plus ægrè quam medico utilitatis, prognosticorum par utriusque commodum, vel dicas quoad demonstratiua vel docent quod cognita sunt, & ita nulla digna admiratione, vel quod ignota adhuc, & ita illi qui assident non credunt: aut quæ paulo post dereguntur, & ita non demonstratiuorum sed prognosticorum potius rationem habent. Galenus tamen quinto de locis in seculi medici morbo ex demonstratiuis signis maximam apud Glauconem gloriam est consequutus.

CONTRAD. LIII.

*Morborum quot genera propria.*

Galenus in libro artis medicæ dum utriusque in salubris meminit, duo tantum genera morborum ponit; alterum in similibus particularis ex intemperie, reliquum in instrumentis ex mala mensura. Idem verò docet infra dum signa eorum ponit, sed & ibi adnumerat continui diuisionem. Sed hoc ex his quæ ibi dicit, & in libro de differentiis morborum facile soluitur. Nam temperies est propria similibus, commensuratio instrumentis; At neutri propria, sed communis est vnitas utriusque. Ità igitur si proprium sumas quod nulli alteri conueniat, neque per se nec aliter, vnus est tantum morbus in commensuratione, nam hæc similibus nullo modo conuenit. Si proprium appelles morbum qui per se solum vni conuenit, licet alteri non per se, sic duo sunt: nam similibus intemperies per se conuenit, licet non per se etiam instrumentis contingat. At si propria & communia genera prima morborum colliges erunt tria. Intemperies, mala mensura, & vnitatis solutio. Sed iam adhuc plura obstant, nam primo de temperamentis & primo de vsu partium; oculus non videt quia calidus aut frigidus, sed quia perspicuus. Et ita ossa non sustinent quia frigida & sicca, sed quia dura tertio de symptom. causis: si igitur durities ab ossibus & perspicuitas ab oculo tollantur, morbis hæc membra laborabunt, quia priuata functionibus, nec tamè vllò prædictorum, igitur quartum genus morbi dabitur. Color etiam alienus in oculo vitiat functionem per se, & tamen cur: sit morbus ad nullum horum reduci potest. Et similiter cui perturbata est ratio ob virtutis imaginantis impedimentum morbo laborat, & nullo tamen horum trium. Et vertigo quæ cõtingit ob vapores est morbus nec tamen aliquis istorum. Et lapis in vesica dicunt quod est morbus in numero contra non potest esse in eo sanitas, igitur nec morbus, sunt enim hi affectus viuientis, nõ lapidis. Tinnitus etiã in aure morbus est, nec aliquis horum. Et eadem ratione linguæ amaritas morbus est, nec tamen aliquis horum. Amor quique heroicus ex amata pulchritudine, item melancholia, tum fascinatior morbi sunt præter hæc genera. Nam cura fascinationis cum fiat per incantationes, ostendit morbum non esse in temperie. Et musculus retinens fœces imobilis morbum patitur, & qui vrinam continere debet si sit

laxior morbis aliis ab his laborant. Quod si cui forma praua membro sit nec lædat operationes tantumque frigiditatis vt nec ipsa per se operationes læsura sit demum ex ambobus lædatur operatio quod frequenter contingit, morbus, erit nullius horum generum. Fernelius quoque in secundo de abditis rerum causis ostendere nititur in similibus partibus fieri tria morborum genera, vt vniuersa sint quinque. Tria sunt quæ possunt vitari materia forma & temperamentum, nam per temperiem potest os (verbi gratia) fieri siccius quam oportet, propter materiam autem laxam aut astrictam, aut durum, aut molle, rarum vel densum, tenue vel crassum, vt ita dicit vidisse militem cui ossa crurum & brachiorum erant facta mollia vt cera. Et quibusdam ob raritatem ventriculus non concoquit citra vllam intemperiem. In forma quoque cum vel iuncta putredine vel absque ea corrumpitur substantia. Quod si dicas sit hæc pura corruptio cum calore? Contradicit, refrigerata parte morbus adhuc manet, igitur ille morbus non est intemperies calida, vel alia. Ideo dicit corruptio putrida certè non est citra manifestam intemperiem: sed quæ putrida non est citra illam etiam est. Secundum fundamentum est ab auctoritate, & pro vitio à materia, est Galeni sententia secundo ad Glauconem qui cum docuisset curam per contraria fieri inquit; in principalibus aut membris vt corde & iecore, atque his quæ licet non virtutem distribuunt, opus tamen impartuntur, vt ventriculus quæ immoderatè laxant, robur resoluunt membri, igitur præter intemperiei emendationem aliud est quod obseruari oportet quodque morbus debet appellari. Pro corruptione autem quæ maximè citra putredinem est Galenus inducitur quinto de simplicibus medicamentis dicens. [Ostensum est autem medicamenta mutare qualitate vna simplici, aut pluribus coniugatis, vel etiã tota substantia sicut cum venenorum alexiteriorumque, tum purgantium medicamentorum omnium atque attractantium pleraque.] Alia inferius huius penè sententiæ quatuor modis alexiteria venenis resistunt vel qualitate qualitatem, aut tota substantia venenorum vim comprimendo, aut illius substantiam educendo caliditate subtilium partium, vel etiam substantiæ similitudine, circa quod illud obseruare oportet quod ibi Galenus docet non intus exhibenda quæ purgent venenum, sed exterius tantum apponenda. Cum enim curationem per contraria in qualitate subiungit: omne deleterium venenum foris impositis medicamentis euacuatur: nempe aut caliditate attractionem mollietibus, aut totius substantiæ similitudine. Vnde natam puto non contemnendi auxiliij consuetudinem, vt qui lethale ebibisset venenum, exenterato mulo protinus se includerent. Tertia auctoritas est Hippocratis in libro de aère & aquis dicentis: [Considerare autem oportet exortus syderum, maximè arcturi, & canis, atque occasum pleiadum, nam morbi in his tum in solsticiis, ac æquinoctiis iudicantur, & occidunt. Hoc autem (inquit) non nisi substantiæ proprietate contingere potest.] Quod verò ad morbos